



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

De septem generibus deuotionum siue compunctionum. Cap. LXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

Philip 4,4

Liquefactio.

stolus ad Philippen. Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. Primò generaliter. Secundò specialiter. Liquefactio autem animæ aliud non videtur esse, nisi quædam emolli-
litio à sua duritia, per quam flexibilis redditur & voluntaria ad amandū se amantem Deum, & liquescentis ad recipiendum divinæ virtutis impressiones: vt sicut liquor liquori, ira spiritus Dei spiritui hominis influens miscetur, & vnus fiat anima spiritus cum Deo.

*De septem generibus deuotionum sub
compunctionum.*

CAP. LXXIII.

CVM autem multa videantur esse deuotionum genera vel compunctionum, possunt tamen in septem distingui differentias maximè singulares, iuxta affectionum varietates. Aut enim surgit deuotio ex timore, aut ex dolore, aut ex desiderio, aut ex compassione, aut ex amore, aut ex gaudio, aut ex admirationis stupore. Ex timore, vt cum quis compungitur timore futuri supplicij, vel cum timet à Deo derelinqui propter demeritum peccatorum suorum, dicens Deo: Ne proicias me à facie, &c. Ne derelinquas me Dñe Deus, &c. Ex dolore, cum dolet se offendisse Deum, & gratiam eius amisisse, vel cum dolet se tam parū profecisse, & tam parui esse meriti apud Deum, & intantū oculis Dei displicere. Psal. Auerte faciem tuam à peccatis meis, &c. Ex desiderio, cum suspirat & anhelat ad gratiam ampliorem virtutum, & ad familiaritatis diuinæ suauitatem, & ad Christi præsentiam in cælo, vel ad alia sancta desideria adimplenda. Psalm. Domine ante te omne desiderium meum, &c. Isaias: Nomen tuum & memoriale

1. Ex timore.

Psal. 50, 13

Psal. 37, 22

2. Ex dolore.

Psal. 50, 11

3. Ex desiderio.

Psal. 37, 29

Isa. 26, 8

riale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte, &c. Ex cō passione, cū Christo passo piē compatitur, & gladius ille animam Deo fidelem transfuerberat & vulnerat, qui Mariæ matris eius animam totaliter pertransiuit. Aut cū proximorum incommodis & animarum periculis compatitur, & zelus domus Dei, & iniuriæ Deo illatæ comedunt eam; nec sinunt eam dormire somno dissimulationis, quin cōtristetur ad singulorum scandala, & torqueatur ad singulorum calamitates. Iob: Flebam super eo qui afflictus erat; & compatiēbatur anima mea pauperi. Ex amore diuino, cū recolit quā benignè secum egerit, & quanta sibi beneficia indigno & immerito contulerit; vel cū pensat generalia beneficia omni humano generi impensa, per incarnationis & passionis beneficia, & sacramenti altaris, & Spiritus sancti sacrosacta charismata; vel cū ipsius Dei ingenitam intuetur bonitatem, quæ tanta est, sicut eius immensitas & æternitas, quæ nec mensuram habent nec finem. & ideo sine mensura diligendus est. Et sic amore Dei nihil potest esse delectabilius, nil honorabilius, nil vtilius. Per hanc affectionem dilectionis Dei, singulariter Spiritus sanctus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. De hac specialiter dicitur: Qui diligit Deum, hic cognitus est ab eo. & Ego diligentes me, diligo. Cognosci à Deo & diligere, est ab eo approbati. Amor Dei est omnium affectionum bonarum condimentum: & tanto plus sapiunt Deo cæteræ virtutum affectiones, quanto plus de hoc habuerint condimento: nec potest esse virtus vel deuotio, quæ ex amoris Dei radice non pullulat. Ex gaudio surgit deuotio, cū exultat in Domino, memor beneficiorum eius, vel cū in spe gratiæ

4. Ex cō passione.

Luc. 2, 35

Iob 30, 25

5. Ex amore.

Rom. 8, 16

1. Cor. 3, 3

Ero. 3, 17

Amor Dei omnium affectionū condimentum.

6. Ex gaudio.

cuius confidit se esse de numero saluandorum, vel congratulatur saluti & profectui proximorum; vel cum in exultatione spiritus congaudet gloriae beatorum, & mente perambulat caelestis patriae varias mansiones; ex quibus omnibus cor exhilaratur, & quasi iucunda volucris, quandoque clauso pectore ludit in iubilo & affectu exultationis & laudis, quasi quærat exire de angaria pectoris. Psalm. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum uiuum. Ex admirationis stupore cum illuminato intellectu fulgore sapientiae, stupet magnitudinem potentiae Dei, & profunditatem sapientiae, & suauitatem & benignitatem eius, vel discretionem iudiciorum eius, vel abyssum claritatis & incomprehensibilitatem immensitatis eius, vel quidquid est de natura diuinitatis eius, & gloria maiestatis, vel quorumlibet operum eius admirabili ratione. Iob: Magnus fortitudine & iudicio & iustitia Deus, & enarrari non potest: ideo timebunt eum viri. Aliquando commixtim ex diuersarum affectionum moribus deuotio cōflatur, ut timor cum dolore, amor cū gaudio & admiratione, compassio cum desiderij ardore iungitur: & quasi aromata simul trita, liquore supernae vnctionis compacta, & calore ignis diuini decocta, pigmentum salutare efficiunt, sanandis animarum languoribus efficac & salubre: sicut illi qui pigmenta sanitatis conficiunt, aliquando de singulis, aliquando de pluribus, & modò de illis, modò de istis compositionem faciunt, pro variis remediorum causis. Cū autem deuotio sit piæ affectionis pinguedo, & magis se habeat ad affectum, quàm ad intellectum, sicut videri potest in simplicibus deuotis, & literatis pluribus indeuotis: perfecta tamē non est deuotio sine lumine intellectus. Sed aliter
se

Psalm. 83, 3

7. Ex admirationis stupore.

Iob 37, 23

Ex mixtis affectionum moribus.

se habet intelligentia simplicium deuotorum, Deuotio docti & deuotio indocti inter se cōferuntur.
 & aliter literatorum. Literati enim sciunt subtiliter loqui de quacunque spirituali materia, & verbis proprijs exprimere quæ volunt, pulchrè diuidere & distinguere, causas & rationes congruas assignare, & sermone composito persuasibiliter & ordinatè proponere, & ex paruis quandoque longum texere tractatum, & ea quæ plana sunt & nota per se verbis artificiosis inuoluere: vt rudibus de intimis * Prophe- *al. philosophia.
 tia medullis extracta videantur. Deuoti autem simplices clariùs vident veritatem in se, & profundius sciunt de ea cogitare, & pondus eius pensare, & saporis intimi venas per gustum affectus scrutari, & per puræ intelligentiæ radium quæcunque lucidiùs discernere: vel licet nesciant verbis expressis propriè distinguere, tamen ex ipso saporis gustu naturales veritatis differentias cognoscere magis valent, quàm per argumètorum coniecturas. Exemplum de quolibet mechanico artifice in arte sua perito, & de subtili Philosopho, quorum alter scit pulchrè de arte differere, & alter propriè operari.

De reuelationibus & visionibus & imaginariis demonstrationibus.

CAP. LXXIIII.

DICTO de illis quæ ad affectum specialius spectant, videndum est breuiter de his quæ in spiritualibus experiencijs magis pertinent ad intellectum: vt sunt reuelationes secretorum, & visiones, & imaginariæ demonstrationes; in quibus quidam de veritate aliquando erudiuntur, & plurimi deluduntur. His autem tanto minùs immorandum est,

A a 3 quan-